



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, & qualis Titulus requiratur ad sufficientem, & probam
præscriptionem, & quando nullus requiratur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quod scilicet res talis aliena sit. *arg. c. Si diligenti 17. h. r.*

SECTIO III.

De tertia, & quarta conditione, videlicet de Titulo, & tempore ad præscribendum necessario.

§. I.

Au, & qualis Titulus requiratur ad sufficientem, & probam præscriptionem, & quando nullus requiratur?

ORdinariè requiri ad præscribendum præter bonam fidem justum titulum, in confesso est apud omnes, eò quod titulus sit causa, & fundamentum justæ possessionis, & bonam fidem habere vix possit aliquis ab initio saltem, nisi habilem habeat, & sufficientem titulum ad possidendum. Neque tamen Titulus hic ad præscriptionem requisitus verus debet esse, vera v. g. donatio, vera venditio, vera solutio, &c. (talis enim titulus verus sine præscriptione transfert dominium) sed sufficit coloratus, sive apparens, qui bonâ fide putatur validus, quamvis à parte rei non sit, qualis titulus est donatio v. g. venditio, &c. insufficientis quidem secundùm se, ob latentem defectum, ad transferendum dominium in donatarium, emptorem, &c. sufficiens tamen cum usucapione, vel exstimatus, ut si v. g. hæres alicui rem tradat, quasi debitam ex Legato, cum revera legata non sit, vel præsumptus tantùm, si scilicet ob temporis diuturnitatem intervenisse titulum jus præsumit, cum tamen for-

tasse nullus intervenerit. Et quidem præscriptione ordinaria longi temporis decem scilicet, aut duodecim annorum sicut & in triennali usucapione titulus non præsumitur, sed requiritur, ut allegetur, & probetur titulus coloratus, & exstimatus, ut constat ex *L. Nullus in Cod. De rei vindicat. & ex Can. Paganus 15. §. Potest etiam aliter. Causa 16. p. 1.* In præscriptione autem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum, colorariè non requiritur titulus, qui allegatur, & probetur, sed sufficit bona fides, quâ credit præscribens titulum se habere, & causam possidendi, tamen si titulum eam non habeat, *L. 3. & 4. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Quod longè certius est, in præscriptione centenaria, vel immemoriali, cum in tali præscriptione tempus immemorabile, seu longissimum tempus vim præsumpti tituli habeat, & tribuat ex privilegio fori, Principi, vel à Lege concessio, &c. præsumpti temporis, vel etiam centenariæ, vel ab aliquo, cui jus commune ad præscribendum resistit, vel alia contra præsumptio pugnat, non sufficit bona fides ad præscribendum, sed debet titulus certus allegari, & probari (si præscriptio sit immemorialis, & capacitas possidendi in usucapione) *c. Si diligenti. 17. h. r. c. Episcopum. 1. Eodem m. cum præsumptio sit contra bonam fidem, cui jus commune ad præscribendum resistit, si nullum possessionis titulum ostendere possit.*